



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Septimo Idus Maj.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

3.  
Maij,

In Monasterio S. Mariæ de la Cruz, in Hispania, Natalis gloriosæ virginis Ioannæ de la Cruz, quæ postquam miraculosas indulgentias, etiam contra pestem, è cælo impetrasset, ab Angelo vocata, inter passionis Dominicæ lectionem, ad sponsum euolauit.

**V**itam huius virginis scripsit P. Cornelius Thielmans, in qua pulcherrima lectu, & stupenda supra infirmum illum sexum, reperies. Per virtutem benedictorum granorum, plurimi sæpè à peste liberati fuerunt, atque inprimis Anna de Lero, uti narrat idem author; cuius librum, quia ubique prostat, tu vide. Illud notabile de hac virgine refertur, quod 3. die Maij sit nata, 3. item die Maij per professionem Deo renata, 3. denique die Maij per mortem mundo denata.

## M A I V S.

*Septimo Idus Maij.*9.  
Maij.  
Vide cap.  
10. Apot.  
Spir. fol.  
115.

Gandavi eleuatio S. Macarij Antiochenæ sedis Archiepiscopi, virtutibus & miraculis clari, qui sua morte, Deo iam placato, pestiferum ignem in eadem ciuitate restinxit.

**Q**uamuis hic celeberrimus contra pestem Tutelaris diem obitus sui habeat 10. Aprilis, quo & passim in Martyrologijs commemoratur; visum tamen fuit eum hoc die ponere, quando Gandavi an. 1067. corpus eius omnino integrum eleuatum fuit à Balduino Notiomensi, & Lietberto Cameracensi Episcopis, Philippo Francorum rege, Balduino Insulano Flandriæ Comite, eiusque filio Balduino Comite, & alijs proceribus adstantibus: celebraturque Gandavi celebrius hæc dies eleuationis, quam depositio

depositionis; tum quod dies depositionis fere incidat in tempus Quadragesimæ aut Paschæ, tum quod eleuatio magna claruerit gloria, solennitate & miraculis.

Est verò Gandauum siue Ganda totius Flandriæ Metropolis, & Caroli V. Imperatoris natalitio illustris, sita ad coitionem scaldis & Lizæ, ad cuius ripam extructi noui castrum ab Othone primo Imperatore anno 949. *Vvicmannus* primus Comes institutus fuit.

Miraculis in  
Codic.  
donat.

Habet & sacer ordo noster Præmonstratensis, ven. suum Macarium, qui primùm Haitonus dictus, cum Armeniæ regnum pluribus annis gloriose administrasset, hostiumque suorum pluries victor extitisset, filio suo Tyuono regni traditis insignibus, ipse semet candidi instituti disciplinæ subiiciens, præclara vitæ prioris stratagemata humili ordinis Præmonstrati professione coronauit.

*Idibus May.*

15. Maij.

Gelæ in Campania Brabantina sanctæ Dignæ virginis & Martyris, filiæ regis Hyberniæ, quæ pro fide Christi & virginitate seruanda, à patre est decollata.

Vide cap.  
49. Apot.  
spirit. fol.  
245.

**M**artyrologium Romanum solummodo dicit eam fuisse à patre iussam decollari: sed verissima vitæ eius historia amplius habet; nempe cum nullus adstantium ministrorum tam impiam iussionem adimplere vellet, quod ipse pietatem patriam & regiam atrocissima crudelitate commaculans, carnifex filiæ suæ effectus, furibundus in eam irruerit, & fatalem gladium quo erat accinctus, naturam impudicitiam conculcans, in niueam innocentissimæ filiæ suæ ceruicem vibrarit, atque sicrum gloriolæ virginis caput, diuinam misericordiam suppliciter implorantis, amputauerit.

Nominare consueui hîc & alibi, hanc Virginem, *Dignam*, quam alij communiter *Dymnam*; quia ita me docuit Petri Cameracensis antiquum exemplar, qui vocat eam, *Meritis & Nomine Dignam*. Et sanè si tam multa nomina apud diuersas nationes quasi omnia vel

C 3

monita,